UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Maximiliani Sandæi E Societ. Iesv Doct. Theol. Paradisvs Amantium, Colentium, Imitantium Christvm Crvcifixvm

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae, 1648

37. Iudæos Christum Crucifigentes vt Muscas morientes considerat. Quare & suos persequutores non pluris facit, nec ijs cedit.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-55065

Visual Library

VII.
AMATOR CRVCIFIXI

Iudæos Chriſtum crucifigentes, vt Muſcas morientes conſiderat; quare & ſuos perſequutores non pluris facit, nec ijs cedit.

37. *Muſcæ morientes.*

GNOMEN illam Eccleſiaſtæ, *Muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti.* a adaptat ſuauiter Chriſti inſectatoribus ac Crucifixoribus S. Bernardus, de Paſſione Domini diſſerens, vt & eorum imbecillitatem cum nocendi malignitate iunctam, & Chriſti generoſitatem, hoſtes ſuos, tanquam muſcas æſtimantis & abigentis, declararet, & CRVCIFIXI Amatores ad patiendi conſtantiam animet.

Hoſtes Chriſti.

Abſit, inquit, Domine CRVCIFIXVM alloquens, *vt Muſcæ morituræ exterminent ſuauitatem vnguenti, quod de tuo corpore fluit; quia apud ſinum tuum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.* Muſcæ morituræ *miſeria ſunt*: muſcæ morituræ *blaſphemiæ ſunt*: muſcæ morituræ *inſultationes ſunt, quas Tibi reddidit generatio praua & exaſperans. In ipſa*

Suauitas vnguenti miſericordia Chriſti.

eleuatione manuum tuarum pro reueren-tia tua clamas: Pater ignoſce illis, quia ne-ſciunt quid faciunt.

Muſca pertinax. Muſcæ pertinaciſſimè vexant ho-minem, adeò, vt mori potius velle vi-deantur, quàm à vexatione ceſſare. Ta-*Impudens.* les fuêre Chriſti perſequutores, tam contumaces ad inferenda mala, vt ſi moriendum ipſis fuiſſet, hoc potius e-legiſſent, quam à cruciando Domino *Breuita-tis.* ceſſare. Sed bono animo Amatores Paſ-ſionis Dominicæ. Muſca breuis eſt æui, vt oritur ſubitò ex putredine, ſic in ea-dem moritur ac ſepelitur, Idem accidit omnibus piorum perſequutoribus.

a. *Eccleſiaſtæ.* x. 1.

S. Bernard. Sermone 4. hebdom. pænoſæ.

VIII.

AMATOR CRVCIFIXI

Cruce in fronte formatâ obit.

38. S. CORBINIANVS. HOc laudatur in S. CORBINIANO Epiſcopo Friſingenſi, qui placi-diſſimè eſt mortuus. Nam quodam die, lotus, raſuſque ſacram veſtem induit, ſacrificium obtulit, & myſterijs perce-ptis domum rediјt. Vbi cùm vinum po-poſciſſet, vix guſtato, fronteque CRV-CE ſignata, extremum ſpiritum, nulla

cum